

qualitates sunt cognoscendæ. Essentiales eas vocamus, qui ad essentiam rei concurrunt constituendam, vel ab ea pronascuntur. Quibus si careret aer, aer iam non esset. Sunt autem, eius raritas, et fluiditas, et mobilitas, et partium tenuitas, et perspicuitas. Alias dicimus, in essentia et ab essentia esse. Quæ vires verius dicuntur, quia per eas, essentiæ in actionem exeunt; et rem aliam, extra se, tum efficiunt, tum afficiunt. Qualis in aere caliditas, et humiditas. Et quales essent in elementis reliquæ illæ qualitates, si vere, et appositæ eis fuissent tributæ. Eas Aphrodiseus Alexander, et Galenus essentias elementorum esse dixerunt. Quam rem Peripatus posterior, et medicorum non pauci, dum non intelligunt, multas, easque ridiculas obierunt altercationes. Quibus videlicet modis, qualitates hæ, quas putant accidentia esse, possent essentialia esse formæ. Sed ad aerem redeamus. In eo Aristoteles, maxime omnium est absurdissimus. Tam enim de eo varie loquitur, et inconstanti est sermone, ut mirum sit, eum in tanta haberi venerationem. Nam cum prius dixisset aerem esse calidum et humidum, ita deinde scribit.

Ἀλλὰ δεῖ νοῆσαι, τοῦ λεγομένου, καὶ καλουμένου ὑφ' ἡμῶν ἀέρος τὸ μὲν περὶ τὴν γῆν, οἷον ὑγρὸν, καὶ θερμὸν εἶναι. διὰ τὸ ἀτμίσειν τε καὶ ἀναθυμίασιν ἔχειν γῆς. Τὸ δ' ὕπερ τοῦτο, ερμὸν ἤδη, καὶ ξηρὸν.

“Verum cogitare oportet, eius quia nobis dicitur, vocaturque aer, quod vaporem referat, terræque exhalationem habeat, partem eam quæ circa terram est, veluti humidum et calidam esse. Quæ vero superior hac est, calidam iam esse et siccam.”

Quasi dicat, non sui natura, et ex combinatione illa primarum qualitatum. Sed quia exhalationem a terra habet, calida est. Quia vaporem, humida. Subnectit enim.

Ἔστι γὰρ ἀτμίδος μὲν φύσις, ὑγρὸν καὶ θερμὸν.

“Est enim vaporis natura, humidum et calidum.”

Est ergo hic circa terram aer, non sui natura, neque ex illa quam prius docuerat, qualitatum combinatione, sed alterius rei, vaporis nimirum admistione. Imo, quem prius totum calidum fecerat, et humidum sui natura, partem eius superam modo, calidam et siccam esse affirmat. Id quoque non sui natura, sed quia a terra exhalationem habeat. Illico enim subinfert.

Καὶ ἔστιν ἀτμὶς μὲν δυνάμει οἷον ὕδωρ ἀναθυμίασις δὲ δυνάμει οἷον πῦρ.

“Sed est vapor quidem potentia quasi aqua, exhalatio vero, potentia quasi ignis.”

At si hæc exhalatio illuc non ascenderet, cuiusnam naturæ aer illæ esset? Ignis inquit esset, ait namque.

Τοῦ μὲν οὖν ἐν τῷ ἀνω τόπῳ μὴ συνίστασθαι νέφη, ταύτην υποληπτέον αἰτίαν εἶναι, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀήρ μόνον, ἀλλὰ μᾶλλον πῦρ.

Cur vero supero in loco, non consistunt nubes, hanc esse causam existimandum est, quoniam non est aer solum, sed potius ignis.

Aer ergo superus ille, aer non est, hoc est humidus, et calidus, imo potius ignis, hoc est calidus et siccus. Talem enim in copulatione qualitatum ignem esse dixerat. Sed inconstantiam viri huius, nos quidem admiramur, non ut sui, veneratione ingenti, sed modestissima stomachatione. Nam rursus, quem hic ignem esse vult, paulo ante ignem esse negarat.

Περὶ δὲ ταῦτα, καὶ τὰ ἐχόμενα τούτων, ἀήρτε, καὶ ὁ διὰ συνήθειαν καλοῦ μὲν πῦρ. οὐκ ἐστὶ δὲ πῦρ.

“Circa vero hæc, et quæ his annectuntur, aer, et quem ob consuetudinem vocamus ignem, non est autem ignis.”

Sed et mediam aeris regionem, quam cum toto antea fecerat calidam, rursus ait esse frigidam. Quoniam in ea nubes, frigore illius in pluvias concresecunt. Itaque aer totus, quartum mundi elementum, Aristoteli periit, dum et ignis calidus et siccus sit. Et aqua humidus, frigidus, et vapor calidus et humidus. Nos vero essentialia aeris qualitates quas esse dicemus? Fluiditatem calorem raritatem, tenuitatem, diaphanitatem. Hæc essentialia eius